DISPVTATIO THEOLOGICA
DE
MISCELLANEIS THEOLOGICIS
QVAE
Volente Deo
Ex Authoritate Magnifici D. Rectoris,
D. GVLIELMI STRATENI,
Reip. Vltraj. Archiatri expertissimi, *Med.* Pract.
& Anatom. Profess. Primarii, & Amplissimi
Senatus Acad. consensu, ac venerandæ
Facultatis Theologicæ decreto
Pro consequendo Doctoratu Theol. in Inclytâ Acad. Vltraject.
Sine Præsid
Publico examini subjicit
IOHANNES HOORNBEECK Harlemensis-Batav.
Ad diem 21. Decemb. horis locoque solitis.

RHENO-TRAJECTI,
Ex Typographiâ WILHELMI STRICKII,
ANNO CIↃ IↃC XLIII.

Ampliſsimo, Clariſsimo Viro,

D. HENRICO BILDERBEECK
Illuſtriſſ. DD. Ordinum nomine Reſidenti apud Agrippinenſes, Satrapæ in Karpen, &c. Amico honorando.

Doctoralem hanc diſputationem

Dedicat, & offert,

JOH. HOORNBEECK
Verbi divini Miniſter.

DISPUTATIO THEOLOGICA

EX

Theolog. Dogmaticâ

DE

DEI PROVIDENTIA.

THESIS I.

DEi providentiam distinguimus, ab ejus prævidentiâ.

II.

Dei providentia, est actio ejus externa, qua omnia gubernat secundum beneplacitum suæ voluntatis.

III.

Etiam minima quæque.

IV.

In finem bonum; ultimum, seipsum.

V.

Omnia bona regit effectivè.

VI.

Prçmovendo, prædeterminando, ac concurrendo.

VII.

Libera, pro sapientiâ suâ, liberè.

VIII.

Omnia, secundum ductum naturæ illorum.

IX.

Solus miracula edit.

X.

Circa mala Dei providentia occupatur permittendo, & ordinando.

XI.

Sanctâ, & incomprehensibili quadam efficaciâ, non tamen efficientiâ.

XII.

Hinc calumnia est, ex SS. hac doctrinâ Deum probari auctorem peccati.

XIII.

Neque ulla circa hanc rem dicta apud Theologos nostros occurrunt, quæ non ad phrasin S. scripturæ explicari queant.

XIV.

Minùs is de Dei sentit providentiâ, hoc qui tantum sentit, quod ingenio suo potest assequi.

EX PRACTICA

DE

VSVRIS.

I.

Usura versatur circa mutuum.

II.

Mutuum hic est alienatio; sed minor.

III.

Usura est lucrum, ad sortem ex speciali contractu mutui.

IV.

Aliqua est licita; scilicet quæ legitima.

V.

Illegitima, quæ mordet; nempe quæ in charitatem peccat, & alteri facit, quod nolimus nobis. Quæ potest esse duplex, sc. ex parte creditoris, & ex parte debitoris.

VI.

Et [redacted] probandæ [redacted] canones contra usurarios.

EX

EX POLITIA ECCLESIASTICA.

DE

Episcopatu & Presbyterio.

I.

APostoli, ut Apostoli, nullos ordinis sui habuere successores.

II.

Verè Hieronymus in epist. ad Tit. quod & à Gratiano citatur dist. xcv. *olim idem erat presbyter, qui & episcopus; & communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur.*

III.

Nullum in Ecclesiam vitium priùs, ac studiosiùs introductum dominandi cupiditate.

IV.

Mysterio iniquitatis sub eo sedulò operante.

V.

Ex quo constituerunt perpetuum Archipresbyterum, solà quidem præsidendi authoritate; malum episcopale valide succrevit.

VI.

Quo episcopi se supra presbyteros, ac gregem majoritate potestatis extulerunt.

VII.

Quod Antichristianum.

VIII.

Quum nulla sit inter Ecclesiæ pastores, ex jure divino potestatis imparitas.

IX.

Neque ideò quod hoc senserit Aërius, inter hæreticos numerandus fuerat.

X.

Collegium presbyterorum, quo ecclesia regitur, constat pastoribus, qui regunt Ecclesiam, atque etiam docent; & senioribus, qui egunt solummodò.

Ex Historiâ N. Testam.

DE

ADVENTV MAGORVM.

I.

Ex quâ Orientis regione Magi venerint, haud satis constat.

II.

Ipsum Magorum nomen indicat sapientes fuisse.

III.

Procul dubio fuerunt Astrologi.

IV.

An sit nomen origine Hebraicum? Neg.

V.

An fuerint incantatores? Neg.

VI.

An moniti prophetâ Bileami? Non liquet.

VII.

Stella, quæ iis prælucebat, fuit de novo producta, & per aërem ducta Judæam versus.

VIII.

Accedebat revelatio divina, de re omni eos instruens.

IX.

Magi religiosè Christum adorarunt.

X.

Ad Historiæ hujus veritatem contra Judæos, ac Gentiles multum

multum facit testimonium Chalcidii in Platonis Timæum, hanc confirmantis.

XI.

Pontificii in gratiam suæ superstitionis hæc addunt.

1. Magos hosce fuisse Reges.
2. Tres numero.
3. Unum illorum fuisse nigrum, sive Æthiopem.
4. Vocatos Melchior, Gaspar, Balthasar.
5. Diebus XIII. iter suum confecisis.
6. Eorum cadavera etiamnum Coloniæ asservari.
7. Ac colenda.

Quæ nos rejicimus.

Ex Historiâ Ecclesiastica.

DE

Libertate Ecclesiæ Africanæ.

I.

QUod episcopus Rom. Victor, sęculo secundo ad A. CXCV. in *Ecclesias* Asiaticas, ob controversiam de observatione Paschatis fecerat, idem sęculo tertio ad A. CCL. in Africanas tentavit Stephanus; occasione acceptá ex Basilide episc. Asturiensi, & Martiali Melidensi, quos ad se ab Africanis, (quod idolis in persequutione sacrificaverant, depositos,) profugos, contendebat restituendos. Nihil hoc morata Africana *Ecclesia*, in sententiâ suâ perstitit, causam egregiè agente Cypriano Carthag. *Episc.* apud quem Historia hæc.

1. Scri-

1. Scribunt Stephano, quem ſimpliciter *collegam* appellant, ut & prædeceſſorem ejus Cornelium.
2. Contendunt, ibi cauſam cujuſque agendam, ubi crimen admiſſum.
3. Tranſmarinas appellationes pronunciant irritas.
4. Primæ ſedis epiſcopus ne appelletur Princeps ſacerdotum, aut ſummus ſacerdos, aut aliquid hujuſmodi.

II.

Atque cum furioſiùs in Africanos irrumperet Stephanus, confeſtim excommunicando eos, qui baptiſmum converſorum ab hæreticis ſtatuerent; modeſtiùs item reſponderunt, contemptam excommunicationem in auctorem veriùs retorquentes: *peccatum quam magnum tibi exaggeraſti, quando te à tot gravibus ſcidiſti, excidiſti enim te ipſum: noli te fallere, ſiquidem ille eſt verè ſchiſmaticus, qui ſe à communione Eccleſiaſticæ unitatis apoſtatam fecerit. Dum enim putas à te omnes abſtineri poſſe, ſolum te ab omnibus abſtinuiſti.* Cyprian. epiſt. 75. edit. Pannel.

III.

In ſynodo Nicenâ A. CCC. XXV. juxta reliquos in ordinem redigitur Romanus, can. VI. quem Gratianus *diſtinct.* LXV. ita reddit. *Mos antiquus perdurat in AEgypto vel Lybiâ, & Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem: quandoquidem & epiſcopo Romano parilis mos eſt.* Confirmatum in ſynodo Conſtantinop. can. III. Chalcedonenſi can. XXVIII.

1. Romanus ſecundo demum loco ponitur.
2. Tantùm in more ac conſuetudine fundamentum ejus; non ex S. Scriptura, vel jure divino aut Apoſtolico adfertur.
3. Propter urbis principatum ei conceditur prioritas; ſicut & ideò Conſtantinopolitano, novæ Romæ.
4. Juxta, non ſupra reliquos agnoſcitur.

5. In

IV.

In Synodo Carthaginensi secundâ, (contra ac Damasus epist. ad Episcopos Africanos quartâ jusserat, nullum episcopum extra conscientiam sedis Apostolicę ordinari) concludunt can. XII. sufficere consensum Metropolitani, de Romano nihil. & Carthag. III. can. XXVI. *Primæ sedis episcopus, princeps Sacerdotum ne appelletur, aut aliquid hujusmodi, sed tantum primæ sedis episcopus, Episcopus autem universalis, nec etiam Romanus Pontifex appelletur.*

V.

A. CCCII. in Synodo Milevitanâ; & CCCCXIII. Carthag. Augustino id agente, Pelagius, (non exspectato Innocentii consensu) condemnatur; Innocentium, ut fratrem synodalibus litteris ad idem exstimulabant. Milevit. can. XX. *ad transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communione suscipiatur.*

VI.

In Synodo Carthag. VI. ad A. CCCCVII. legati Zozimi pro appellationibus transmarinis instabant, idque ex Synodo Nicenâ, quâ illud conclusum affirmabant. Quibus Africani omnes intrepidè fidem omnium synodi Nic. exemplarium reponebant; ac quidem Augustinus, concilii præses, ex Patrum sententiâ, à Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno episcopis, authentica ejus exemplaria poscit, quibus falsi convincuntur Romani; nullo exemplarium id habente, quod illi mentiebantur. Igitur Patres canonem Milevitano similem hunc constituunt: *Ut presbyteri, diaconi, & cæteri inferiores Clerici ad transmarina judicia non provocent; sed ad Primates suarum provinciarum, sicut & de Episcopis sæpe constitutum est: Qui vero ad transmarina appellaverit judicia, à nullo intra Africam in communione suscipiatur.*

Ergò observemus.

I. Quibus artibus, quâ tyrannide, mendaciis, vel per refractarios, (ab *E*cclesiis suis judicatos, quibus patrocinabatur;) in alias Ecclesias involarit episc. Romanus.

II. Primitùs hoc illi non magis licuisse in alias; quam aliis in suam.

III. Adjutum non parum ipsâ urbis authoritate; sicut & Constantinopolitanum, suæ.

IV. Continuas hinc, & gravissimas semper enatas orbi, ac Ecclesiæ contentiones.

V. Jam inde ab initio manifestius se in Romanis episc. exeruisse spiritum Antichristianismi.

VI. *E*cclesias *A*fricanas illam Romanorum πολυπραγμοσύνην, & usurpationem nunquam tulisse.

VII. Verum ei fortiter semper, & constanter restitisse.

VIII. Romanam *E*cclesiam solùm ut particularem agnovisse.

IX. Neque ab ejus communione salutem dependere.

X. Multo minùs ab ejus majoritate ac obedientiâ.

XI. Ideoque *E*cclesias Reformatas, adultæ jam ejus tyrannidi se subtrahentes, & opponentes, nihil hac in causâ fecisse à laudabi exemplo primitivæ *E*cclesiæ, aliarumque alienum.

COROL

COROLLARIA.

I.

Confessionem Ecclesiarum Reformatarum Belgicam, item Catechesin Heidelbergensem, & Canones Synodi Dordracenæ probamus, defendimus.

II.

Divisio librorum V. Testam. secundum Hebræos, non est satis recta.

III.

Ionathan & Onkelos, quorum sunt Chaldeæ paraphrases in Pentateuchum & Prophetas, non sunt iidem, qui Aquila & Theodotion.

IV.

Versio LXX. *interpretum non est ea, quam hodiè habemus.*

V.

An Iudæi ex lege teneantur facere Tephillin? Neg.

VI.

Mene Mene Dan. 5. an scriptum charactere Samaritano, an Chaldæo? poster.

VII.

Canticum Canticorum Salomonis est mystico-propheticum, historiam Ecclesiasticam N. Testam. delineans.

VIII.

Versio N. Test. Syriaca annon heterodoxiam sæpe sapiat? Aff.

IX.

Rom. 5. vers. 7. δίκαιος *ex* צדיק, ἀγαθός *ex* חסיד *explicandum.*

X.

Talmudis lectio non inutilis omninò, neq; explodenda.

XI.

Quid, quod in Talmude singulis capitibus subjicitur הדרן עלך, *monet de jugi repetitione.*

XII.

An Pirkè R. Eliezeris, sint (quem præferunt) ejus Eliezeris, qui Hyrcani F. & Gamalielis gener? Neg.

XIII.

An liber Philonis Judæi de vitâ contemplativâ, *agat de Judæorum Essenis, an Christianorum Monachis? pr. Aff.*

XIV.

Quis auctor librorum de Imitatione Christi, *an Thomas Kempens. an Bernardus clarevall. an Gerson Parien., an Gerßen Abbas Vercellensis? Resp. pro primo.*

XV.

An quod de signo crucis à Constantino viso, verum? N.

XVI.

Christi picturæ non sine periculo fiunt & ostentantur.

Formam

XVII.

Formam hæreſeos non facit, aut quod perſeverat quis, aut quod contra conſcientiæ convictionem errorem defendit.

XVIII.

Controverſia de ſpiritus S. proceſſione, tanti non eſt, ut Græcæ eccleſiæ eo nomine hæreſeos condemnari debeant.

XIX.

Neque ſymbolum, quod Apoſtolorum dicitur, ab Apoſtolis, neque quod Athanaſianum, ab Athanaſio conditum.

XX.

Quod eſt minimum, ac certum ſignum gratiæ? R. ſincerum gratiæ deſiderium.

XXI.

Verum ſtudium univerſalis ſanctitatis, eſt hominis regeniti ſignum maximè catholicum.

XXII.

In cruce Chriſti fuere quatuor clavi.

XXIII.

Crucifixio non fuit genus ſupplicii apud Iudæos uſitati.

XXIV.

Perverſus eſt zelus, quo feruntur homines in bellum, uti vocant, ſacrum; pro recuperatione terræ ſanctæ ſc. contra Turcas.

Multa habent Proteſtantes, & juſta contra uſum Calendarii Gregoriani.

XXV.

Problemata hæc, de quibus aliquandò inter Orthodoxos diſquiri ſolet, ex terminorum aliâ atque aliâ acceptione dependent.

1. *Num homo ante converſionem poßit dici quid ſalutariter agere?*
2. *Num fides reſipiſcentiam præcedat, an ſequatur*
3. *Num Chriſtus adorandus, quà mediator?*
4. *An gratia in hominis converſione agat moraliter, an Phyſicè?*

Et ejus commatis plura.

XXVI.

Non ſatis tutò aſſeritur in doctrinâ S S. Trinitatis, filium per Intellectum; & ſpiritum Sanctum per voluntatem procedere.

XXVII.

Quod de martyrio D. Vrſulæ, & multis aliis legit Romana Eccleſia, fabula eſt.

XXVIII.

Ius Canonicum, utpote Papale, & indigeſtam molem meritò Reformati proculcamus.

FINIS.